

fugam. Eam si nunc sequor, quonam? Cum illo non: ad quem quum essem profectus, cognovi in iis locis esse Caesarem, ut tuto Luceriam venire non possem. Infero mari nobis, incerto cursu, hieme maxima navigandum est. Age jam, cum fratre, an sine? cum filio, an quomodo? In utraque enim re summa difficultas erit, sumus animi dolor. Qui autem impetus illius erit in nos absentes fortunasque nostras? Acrior, quam in ceterorum: quod putabis fortasse in nobis violandis aliquid se habere populare. Age jam, has compedes, fasces, inquam, hos laureatos efferre ex Italia quam molestum est! Qui autem locus erit nobis tutus, (ut jam placatis utamur fluctibus,) antequam ad illum venerimus? Qua autem, aut quo, nihil scimus. At si restitero, et fuerit nobis in hac parte locus, idem fecero, quod in Cinnæ dominatione L. Philippus, quod L. Flaccus, quod Q. Mucius; quoquo modo ea res huic quidem cecidit; qui tamen ita dicere solebat, se id fore videre, quod factum est; sed hoc malle, quam armatum ad patriæ moenia accedere. Aliter Thrasybulus, et fortasse melius. Sed est certa quaedam illa Mucii ratio atque sententia: est illa etiam (Phillippi) et, quum sit necesse, servire tempori et non amittere tempus, quum sit datum. Sed in hoc ipso habent tamen iidem fasces molestiam. Sit enim nobis amicus, quod incertum est: sed sit; deferet triumphum. Non acciperene periculosum sit, (an) accipere invidiosum ad bonos? O rem, inquis, difficilem et inexplicabilem! Atqui explicanda est. Qui enim fieri potest? Ac ne me existimaris ad manendum esse propensiozem, quod plura in eam partem verba fecerim: potest fieri, quod sit in multis quaestionibus, ut res verbosior haec fuerit, illa verior. Quamobrem ut maxima de re aequo animo deliberanti, ita mihi des consilium velim. Navis et in Cajeta est parata nobis et Brundisii. Sed ecce nuntii, scribente me haec ipsa noctu in Caleno, ecce literae, Caesarem ad Corfinium, Domitium Corfinii cum firmo exercitu et pugnare